

ORATIO AD

Pont. Max. Leonem. X. in Obedientia suæ Sancti-
tati nomine Serenissimi Principis dñi Sigismundi
Regis Polonię/Magniducis Lituanię/Russia/Prus-
sięq; dñi & hęredis zc. prestita/per Reuerendissimũ
dñm Ioannem de Laslko Archiepiscopũ Gnezneñ.
& Primatem Regni Polonię/ costante sibi Magni-
fico Stanislao de Ostrorog Castellano Califficñ. col-
lega suo / in Consistorio publico habita. Die Lunę
xiii. Mensis Iunii. Anno dñi. M. D. xiii.



Non sum nescius Beatissime Pater magni mo-
menti onus humeris meis esse impositū: dum
hanc in tuo sanctissimo conspectu orandi prouinciā
iniunctam mihi esse uideo/ubi tot clarissimorū mun-
di luminū oculos in me coniectos conspicio. Nec si-
ne magna animi anxietate id facere possum / mente
reuoluens/q; in dicendi facultate Tirocinio nusq; de-
posito/ ueterani munus hic aggredi ausim. Quippe
qui semper uereri cogor/ hic adesse neminē: qui non
acutius acriusq; uitia iudicet/ atq; ea laudet/ quæ re-
cta uideat: ut fieri assolet dum contingit aliquē om-
nibus silētibus esse unū/ magnis de rebus/ magnoq;
in cōuentu hominū audiendū. Legimus multos eos-
demq; cōsummatissimos Oratores: quibus neq; ars:
neq; dicendi usus defuit: sub tanto onere plerūq; suc-
cubuisse. Illorūq; Maiestate: quorū in presentia ora-
turi uenerant: deterritos: omnem dicendorū memo-
riam ita amisisse: ut paucis admodum uerbis uix ex-
pressis penitus obmutuerint. Qd si talibus/ itaq; sum-
mis uiris id contigisse non ambigitur: nemini profe-
cto mirū uideri debet/ si mihi coram summo sacrorū
omniū Antistite: qui dei simul & hominis primū in
terris locum tenet/ coram excelso Pontificalis Maie-
statis trono: quo nullus in humanis/ neq; sublimior/
neq; augustior reperitur: in excellētissimo Reueren-
dissimorū dñorū Cardinalium Senatu: in celebri tot
Præsulum confessu: totq; clarissimorū uiroꝝ corona
rei nouitate confuso gelidus coit formidine sanguis.

A ii



Sed me recreat ac reficit q; apud eam tuam Sanctita-
tem dicturus uenio: cuius frontem uultumq; dumta-
xat seueritatem præferre considero: animum uero
eius tanta comitate/clementiaq; præditum: ut quem
admodū uerbo diceris/ ita re ipsa es clementissimus:
qua clementia tanto maiore polles /quāto maiora di-
gnitatis culmina altius te extollūt. Accedit q; ab eo
Rege missi: uerbaq; facturi sumus/ cuius Maiestas
sicut hanc tuam sanctā Sedem colere uenerariq; con-
sueuit/ ita tuam Beatitudinem non uerbo/ sed re ipsa
omni qua debet deuotione colit ueneratur & obser-
uat. Quicq; ab illa parte contra multa infidelium gene-
ra uniuersali Ecclesie strenue militat: singulari se tuæ
Sanctitatis gratia & fauore pro suis meritis uicissim
complecti credit & sperat. Ut igitur eiusdem Maie-
statis domini nostri mandata paucis exequamur/ ne
multa uerborū serie/rebusq; fastidiū potius q̄ uolup-
tatem parientibus: aures tuę Sanctitatis clementissi-
mas obtundere uideamur. Dicimus annū exactum
Tertiū/ iam uero prope Quartum esse/ cum Rex no-
ster Serenissimus contra spurcissimos Tartaros/ per-
tinacissimosq; Scismaticos in expeditione esset: quo
tempore ab Imperatore Turcarū uita defuncto: mo-
derna Imperatoris Selimbeci genitore/ a quo nōnul-
la eiusdem Scismatis capita/ auxilia habere cōsueue-
runt/ ad Regem nostrū Serenissimū uenit Legatio:
qua suæ/ fraternęq; Maiestati Serenissimi Principis
dñi Vladislai Hungarię Bohemięq; Regis zc. siue

bellum/ siue pacē malint promiscue offerebat. Sub
idem quoq; tempus allatæ erāt felicis recordationis
Iulii Secundi tuæ Sanctitatis prædecessoris litteræ
quibus sua Sanctitas Regibus nostris Sanctissimū
propositum de Concilio generali apud Lateranū ce-
lebrando denunciare dignata est. In quo potissimū
de expeditione contra Christianæ religionis hostes
consultandum foret. Proinde eius Sanctitas Reges
nostros hortata erat/ ut & ipsi suas/ Regnorūq; suorū
uires ad tam sanctum opus perficiendum compone-
rent & compararent. Ex qua quidem denunciatione
tanta derepente letitia Regibus nostris oborta erat
ut nulla posthac eque iucūda res contingere possit:
quæ parem animi letitiam Regibus nostris asserre
posse uideatur. Cuius spe ductus Rex noster Sere-
nissimus omnis illas condiciones pacis & suæ & fra-
ternæ Maiestati una oblatas reiecit/ & cum ipsa Ma-
iestate fraternæ/ cumq; uniuersis Regnorū Prælati-
bus/ & Proceribus cōstituit atq; decreuit/ &
aduersæ & secundæ fortunæ euentus/ cum hac San-
cta Sede/ pro incolumi sanctæ Ecclesie statu & tran-
quillitate/ nulla priuati cōmodi ratione habita/ sub-
ire/ quandoquidē Regibus nostris peculiare est: Iu-
req; hereditario a maioribus nostris relictum/ pro fi-
de Christi contra Infideles/ & Crucis sanctæ hostes
belligerare/ Alii talibus in certaminibus uitā effun-
dere/ nedum sanguinem nō dubitarūt. Sed quo ani-
mo Selimbecus ipse nouus Turcarū Imperator per



Reges nostros se/ genitoremq; suum neglectos tulerit satis superq; experiētia docuit/ac docet: qui dum se bello fraterno occupare cogitur / Scitharū manū ualidam:quam sibi auxilio contra fratrem futuram destinauerat/ contra Regnū Polonię subornauit/ nō sine Regni illius (quod citra omnem opinionem in uaserat) tametsi etiam non sine sua iactura. Quid uero posthac/ quantūq; cladis inclito Hūgarię Regno furtiuis inuasionibus per suū Militem intulerit/ credimus a tuę Sanctitatis cognitione non esse alienū. Magnam quidem letitiam Beatissime Pater Reges nostri ex hac spe expeditionis propositę conceperāt: Sed cū eam uideant ob infelices Christianorū Principum inter se tumultuantiū discordias / culpis nostris sic exigentibus/ in longum proferri & extrahi: non minorem sane molestiā ceperūt / ueriti uix post hac talem benegerendę rei occasionem oblatam iri: qualis hęc erat/ dū nouus Imperator rebus Imperii nondum ad rectam formulam compositis: imouero Bisantino Imperio sine ullo firmo præsidio relicto / Fratrem alienis armis acriter se urgentem/ totis uiribus persequi/ & reprimere coactus est: de qua re multis uerbis agere/ non uidemus operepreciū esse: cum intelligamus hic esse neminē/ quem hoc latere existi memus. Designati autem existentes ad ipsum diuū Iulium/ tuę Sanctitatis prædecessorem/ eo per mortem humanis exuto / impræsentiarę ad tuę clementiæ conspectum/ ab illa Maiestate Regis nostri Po-

loniæ missi sumus: ut Regis utriusq; animū/ & consentientem uoluntatem declarem. Cupiebant enī & supra q̄ dici queat exoptabant/ hoc agi & consultari/ ut mora omni posthabita/ expeditio decerneretur præsertim dum spei superat aliquid/ ad rem felicis faciliusq; gerendam/ dum ipse Imperator nouus bello fraterno uiribus Perficis aucto/ se implicabat: qui iam non paucis timorem sui incussit/ quid moliat coram uidentibus. Dedit enim de se indicia magna priusq̄ ad Imperium euectus est/ tunc præsertim cū subalis Tartarię tauricę ultimū Patris opperiretur spiritū. Postea uero q̄ ad Imperiū euectus est/ Iusiurandum Militibus præstitit ac promisit / q̄ quiescere nollet truculētissima Belua Christiani sanguinis sitibunda: donec auito succensus exemplo: aliqua insigni miserandaq; clade Christianos (nisi eius impetus reprimantur) afficiat. Ob eas igitur res tum q̄ omnibus periculis illic impendētibus Reges nostri q̄ cæteri Christiani Reges sunt uiciniore; tametsi sub illa cōmoditate diuinitus oblata/ nunc uero sublata/ quod dixerimus optabant: tamen impræsentiarum etiam cupiunt/ ac seipsos/ fortunas suas/ Regna item & dominia sua/ subditorumq; suorū ad tam sanctam/ tamq; necessariam expeditionem ad uotū tuę Sanctitatis/ & Concilii sacrosancti offerunt. Modo reliqui Christiani Principes equis passibus id facturos se ostendant: Et cum pro totius orbis Christiani incolumitate futuram nō ignoramus/ ut omniū cō-



muni/consentientiq; consilio & auxilio fiat necesse est. Regna quidē nostra Hungaria & Polonia/uel hoc solo infeliciora censerī possunt/q; uicinitate q̄ cetera Regna Christiana Scithicis Particisq; gentibus sunt coniunctiora: ut maximis frequentibusq; periculis nostris uerum esse discamus/magnum malum propter uicinū malum. Nec minus tamen/ & ex eo q; maiores nostri post illas ueteres & calamitosas impressiones/ quibus Batti magnus Tartariarū Cæsar Regnum utrūq; ferro & igne/longe lateq; peruastarat/& prope ad extremū discrimen adduxerat/ magis ipsorū arma audiuerant q̄ senserant: nulla tamen futuri temporis ratione habita/ omnē uitam in ocio consumpserunt: ut tandem hoc malum paulatim serpendo/ad nos ita peruenit/q; nullum unq̄ certū habeamus tempus: quo uel pacis/uel ocii aliquid sperare possimus: Vbi neruorum nostrorū uires omnes ita eneruauimus / ut uix nobis ipsis constare queamus. Et nisi tuæ Sanctitatis (Medices animarū Sanctissime) tanto malo medendo Antidota adhibeantur/uerendum est/ ne breui id malum in reliquos Christianos Principes/hancq; sanctam Sedem obrepat. Nō defuit Græcis (dum starent) omnium opum & diuitiarum copia: Non defuit rei militaris scientia: qui tamen dum gentis Scithicæ robur minoris q̄ par erat estimarēt / ita eorū incursionibus uires suas afflictas labefactatasq; senserunt/ut longo post securitati suę muro per multa milia passuū in mare usq; producto

prospicere sint coacti. Ne uero quispiam Nos/uel fabulosas res / uel parui alioquin momenti narrando tempus hic deducere existimet/cum tanq̄ alterius orbis res gestas percenseamus facile de his omnibus citatis pene omnium Græcarum rerum Scriptoribus/fidem facere possemus: nisi persuasum esset nobis/hic esse neminem: qui nō horum omnium seriem satis superq; calleat: Quorū Græcorū libri/Scitharum rebus gestis/cum magna ipsorū laude & gloria sunt referti: quos cum summis priscore seculorū uiris bella insuperabiliter gessisse: inuictosq; semper habitos/terras amplissimas/gentesq; bellicosas potenter penetrasse ac tandem plerasq; earum ui captas occupasse / & in eis resedisse memoriæ prodiderunt: quæ quidē gentes si unq̄ armis/uiribusq; plurimū ualuerunt. Nūc certe omnium Stratogematū genere/ animorūq; ferocitate/& corporū insuperabili robore nulli genti quā tūcūq; bellicose cedere credi possunt/ prodiga gens animæ. Quæ ubi inter montes/uel flumina/ siue palustria/aut siluarum densitatē inaccessa loca/ ad pugnam uentū est/si cominus res geritur:hastis & gladiis illis falcatis/& cestibus audacter congregiuntur: id duntaxat gloriosum existimantes/ q; aut uincant aut uicti succumbāt. Sin eminus & in planis decernendum est: singulari artificio fugiendo uincūt/missa post tergum sagitta. Aestus uero frigoris/inedia/ceterarumq; necessitatum tanta patientia/ut hii potius cum feris/q̄ cum hominibus rem sibi cōmunem

B



esse credant: qui continuo cum Scithis prælio con-
tendere non cessant. Nihil dicimus quid Pannonia
diues opum/studiisq; asperrima belli/multis iam an-
nis pertulerit/quantūq; assiduis bellorū procellis at-
trita fuerit: cū credamus alios illius Maiestatis Re-
giæ Hungariæ nomine de hoc affatim:dixisse. Hoc
tantum silentio præterire nequimus/q; sicut Panno-
nia Mahumetanis gentibus cōtermina ppetui belli/
si uel de cōditionibus pacis utrinq; cōuentū sit/one-
re præmitur:Ita etiā Polonia nō solum oris Scithicis
uicina:sed quæ ipsos Scithas in partem soli Sarmati-
ci Iure tanq̄ hereditario admittere sit coacta/cum il-
la Infidelium colluue Turcarum/Fartarorū/Mos-
chorum/ aliorumq; Scismaticorū/pari belli perpetui
onere urgetur. Et quemadmodum Turcarum exer-
citus non longo/ imo breui terrarū tractu alieni soli
emenso Regnum Poloniæ (dum libet)aggredi po-
test:Ita etiam Scithicus exercitus per eiusdē Regni
Poloniæ fines Regnū Pannonicū:Dominiāq; Ger-
maniæ ingrediendi uiam habet latissimā & amplissi-
mā. Nec sane utriq; isti exercitui iter hoc ipsum per
solum Moldauicum:latosq; ac patentes sine ulla mu-
nitione tractus ad Regna prædicta difficilius est /q̄
Aranæ telam Muscis capiendis contextam aliqui-
bus paulo maioribus bestiis penetrare/nisi per Re-
gem nostrū transitus eorū reprimat. ¶ Post multas
igitur istarum calamitatum nostrarū apud hanc san-
ctissimā Sedem enarrationes per alios Oratores etiā

annis superioribus factas / Nos tanq̄ extremū Tra-
gediæ actum recitaturi tandem uenimus: ut apud
tuam Sanctitatem in præsentia huius Cardinei or-
dinis exponamus: Non nostram solum/non nostrā:
Sed (deum/hominesq; testamur) totius orbis Chri-
stiani/imouerius huius sanctæ Sedis necessitatē esse
quam hæc duo Regna humeris suis iam pridem su-
stinent. Sub qua (nisi mature tempestiueq; succurra-
tur) uerendū est: ne (quod Deus optimus maximus
auertat) succumbere cogantur. Quam quidem ne-
cessitatē tua Sanctitas multo maiorem/multoq; gra-
uiorem esse credat / q̄ nos eā pro captu exilis ingenii
nostri/tenuisq; litteraturæ facultate ualeamus expli-
care. Nec ex uerborū inopia/ sed ex animi copia (ut
par est) tua Sanctitas rem metiatur. Scimus enī res
omnis tanti semper ab hiis qui audiunt haberi sole-
re/quantum eas/ uel scribentium/ uel dicentium in-
genia extollere possunt: quod ego litterarum experts
Latialium facere possum minime. Sed cum ad pau-
cos bene dicere pertineat/missa faciens omnia: quæ
hoc in loco a uiris doctis / tum ad doctrinam osten-
dendam / tum ad rerum dicendarum necessitatem
fieri/diciq; solent. Hoc te unum orabimus Pater cle-
mentissime/ Regum nostrorum nomine: ut in hiis
sacratissimis tui summi Pontificatus Primitiis / sub
hocq; sacrosancti Concilii tempore/semper & perpe-
tuo rei Christianæ/ cui tua Sanctitas præest/in com-
mune consulat. Et ut fuerit Medices/ habeatq; piū



mi & perenne Medicis nomen: Sic gregi suo Catho-
lico languido/concusso/ac dissipato: arte/pietate &
solicitudine pastoralis medeatur. Rex autem noster
Serenissimus dies noctesq; cogitatio id parabit/ idq;
meditabitur: ut pro sua uirili/una cū Maiestate fra-
terna in re Christiana iuuanda/liberandaq; tuā San-
ctitatem emulentur: Eamq; spem Reges nostri Se-
renissimi de tua Sanctitate concipiunt/ut quā Rem-
publicam Christianam miseris temporibus afflictā
pereuntemq; conspiciat: eam in ueterem dignitatem
libertatemq; sit uendicatura. Omnes uero qui Chri-
stiana professione censentur/te gubernante in maxi-
mam tranquillitatem & prosperitatis spem omni dif-
fusa caligine animis erigentur nouis / quia facile
quod dixerimus credent/ si tua Sanctitas imprimis
dissidentes inter se Principes auctoritate sua compo-
suerit/suaq; prudentia ad concordiam redegerit: deus
autem optimus maximus & clementissimus / cuius
res agitur/tuæ Sanctitati subueniet/ceptaq; tua/ pre-
sentia omnia atq; futura sanctissima ita diriget: ut
quod orbi Christiano bonum/felix/faustumq; sit fu-
turum/ cum immortalis tui nominis gloria feliciter ac
glorioso perficias. Quod ex hoc maxime iudicabitur
gloriosum/si tua Sanctitas dissidentes Principū ani-
mos ad pacem & amicitiam reuocauerit: ostendens
in se & potestatis & sapientiæ uim coniunctim resi-
dere. Ambarumq; clauium rectitudinem adesse/ Quo-
tiens autem in uno omnium summo Principe sapien-

tia cum potentia conspirant/ tūc publici effectus de-
sideratissimi sunt expectandi: quales nunc Reges
nostri/ imo quod indubitanter credimus: etiam reli-
qui Christiani Principes ex tua Sanctitate præsto-
labuntur/ Teq; duce omnia læta/ omnia felicia spera-
bunt. Sed cum pro loci/ & auditorum dignitate satis su-
perq; euagata sit Oratio nostra/ tempus erit ut recep-
tui canentes/ad ea quæ postremo dicenda sunt acce-
damus. ¶ Tuę Beatitudini Sanctissime Pater & dñe
domine Leo inuictissime/ Pontifexq; maxime & cle-
mentissime / Tronoq; sancto Apostolico/ Serenissi-
mi Principis dñi Sigismundi Regis Polonia: Ma-
gniducis Lituania/Russia/Prussiaq; zē domini &
Heredis domini nostri gratiosissimi nomine/ omnē
uenerationem/ & reuerentię cultum deuotissime præ-
stamus/ & impartimur: quecunq; a Rege Christia-
no erga Summū dei Vicarium impartiri conuenit.
Tuęq; Sanctitati/ Regis eiusdem nostri nomine:
suiq; mandati plenissimi impræsentiarę lecti uigore
perpetuam Obedientiam / & sinceram deuotionem
cum humili reuerentiā exhibemus. Te Pontificem
Maximū profitemur: Te indubitatum summi Apo-
stolorum Principis Petri successorem: Te legitimū
Iesu Christi Saluatoris nostri Vicarium: Te Clau-
gerum Regni cęlestis attestamus. Tibi Rex noster
deuouet ac offert/quicquid opibus ualet/ uiribus pol-
let/fortunas omnes/ Exercitus omnes/ Vniuersorūq;
Regnorum suorum Imperiū/seipse/uniuersasq; na-



tiões Christo fideles/sibiq; in illis Regnis diuinitus
subiectas cōmendat + Omnibus tuo Iure utere / pro
tuo arbitrio dispone / pro tua / & militantis Ecclesiæ
dignitate excipe Beatissime Pater / & sincera caritate
complectere hunc Principem / tuæ Sanctitati obse-
quentissimū : quem semper non minus re / q̄ uerbis
paratum expeditumq; inuenies & experiere +

DIXI.





VNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

LIBROS SALES